Loeffler, Ad. Friedr.
Frankfurt a/d. O.

Diss

DISSERTATIONEM MEDICAM INAVGVRALEM DE NONNVLLIS AD CHIRVRGIAM PERTINENTIBVS

CONSENTIENTE GRATIOSA
MEDICA FACVLTATE
PRAESIDE

IO. CHRIST. ANDR. MAYER,

SERENISS. PRINC. HEREDIT. BORVSS.
A CONS. AVL.
MED. ET PHIL. DOCT. MED. THEOR. ANAT.
PHYSIOL. CHIR. ET ART. OBSTET. PROF. PVBL.
ORDIN. CIRCVLI LEBVSIENSIS ET CIVITATIS FRANCOFVRTANAE PHYSICO, ACAD. CAES. NAT.
CVRIOS. SODALI H. T. FAC. MED. DECANO,

PRO

SVMMIS IN MEDICINA
ET CHIRVRGIA HONORIBVS
LEGITIME OBTINENDIS

D. 26. SEPTEMBRIS MDCCLXXXV.

PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

ADOLPHVS FRIDERICVS LOEFFLER,
BEROLINENSIS.

TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

Frankfurt a. O.

VIRIS

MAGNIFICIS PRAENOBILISSIMIS

AMPLISSIMIS

ATQVE CONSVLTISSIMIS

ILLVSTRIS AC LIBERAE

S. ROM. IMPERII REIPVBLICAE

HAMBVRGENSIS

DOMINIS

CONSVLIBVS

SYNDICIS

SENATORIBVS

PROTONOTARIO

SECRETARIIS

ET

ARCHIVARIO

PATRIBVS CONSCRIPTIS

MERITISSIMIS

DOMINIS

MAECENATIBVS AC PATRONIS

SVMMA PIETATE COLENDIS

SPECIMEN HOC INAVGVRALE

OBFERT AC CONSECRAT

AVCTOR.

DE

NONNVLLIS

AD

CHIRVRGIAM

PERTINENTIBVS.

DE SCIRRHIS.

Scirrhus eſt tumor durus, initio paruus, mobilis, doloris expers, e glandula oriundus, raro, ſaepius difficulter et aegre medicamentis ſoluitur, ſuaque natura facile in cancrum abit. En complexum deſcriptionum, quibus plerique et clariſſimi chirurgorum noſtrorum ſcirrhum deſcribunt.

Quodſi haec deſcriptio cum diuerſis, quae in humoribus duris animaduertuntur, phaenomenis comparatur; chirurgus ratione ſymptomatum confunditur, et experitur, iuſtam notionem ſeu determinationem ſymptomatum ſcirrhi in chirurgia eſſe doctrinam admodum obſcuram, atque haec eſt cauſſa, qua plerique chirurgi tumores duros pro ſcirrho habent. Clar. *Sibbern* ex eadem cauſſa ſcirrhoſos teſtium tumores extracto cicutae curauit.

In *med. Eſſ.* fol. I. p. 213. narratur obſeruatio, feminam tumorem tactu inſtar lapidis durum in mamma habuiſſe, deinde tumorem emollitum eſſe, atque in ſponte aperto hydatidem, plus quam VII vncias lucidi, aquoſi humoris continentem, eſſe detectam.

Semel oculis meis intuitus ſum tumorem lapideae duritiae in mamma, ille mobilis erat, et aegrota ſentiebat raros paucosque dolores. Nonnulli chirurgi hunc tumorem pro ſcirrho habebant, timebant cancrum, ad quem cauendum, vt exſectio fieret, ſuadebant. Inciſione per tegumenta facta et tumore nudato, inſtrumentum chirurgicum oblique in illum impingebatur, eo conſilio, vt ſcirrhus eleuaretur atque hac ratione exciſio illius facilior redderetur; ſed, inſtrumento impacto, ingens aquoſi humoris copia effluebat, et duritia tumorque iuxta euaneſcebat. Vulnus conſaneſcebat breui tempore, ſed aliquot hebdomades poſt curationem tumor iterum apparuit, omnia ſcirrhi indicia prae ſe ferens.

Duritia igitur et inſenſibilitas ſola minime characteriſticum ſcirrhi indicium eſt, ſed neceſſe eſt, vt firmitas per totum eius corpus accedat, ſed dantur interdum etiam tumores, qui duri et firmi per totam ſuam ſubſtantiam, neque tamen ſcirrhi ſunt.

Experientiſſimus chirurgus, in arte ſua *Roſcius* effato ſuo, quo tumorem deſignat, deci-

decipere, immo vide ipſe illius ſignis decipi poteſt. De his omnibus hac ſcriptione exponam, operamque dabo, vt quicquid huic doctrinae inſit obſcuri, oſtendam.

Secundum ſcriptores oritur ſcirrhus e glandula, cetera omnia tumorum genera oriuntur in aliis partibus: quod ſi hoc extra omnis dubitationis aleam poſitum eſſet; chirurgus tamen inde nullam capere poteſt vtilitatem, nam quibus mediis aut ſignis diſtinguere poteſt, vtrum durus tumor e glandula, tela celluloſa, an indurata adipe conſtet?

Nonnulli chirurgi contendunt, inflammationes ſaepius cauſſas eſſe ſcirrhi, contra ea alii hoc negant, et adfirmant, nunquam ſcirrhum poſt inflammationem oriri. Quamquam hae opiniones ſibi contradicunt, diſcit tamen inde chirurgus, in vtroque caſu ſcirrhum oriri poſſe. Scriptores nonnulli ſentiunt, recentes aut paruos ſcirrhos ſolubiles, veteres vero et magnos inſolubiles eſſe. Scirrhus, qui auellanam nucem magnitudine aequiparat, aeque eſt perfectus, ac ille, qui pugnum viri aequiparat; diſcrimen poſitum eſt tantummodo in maiore aut minore maſſa, quae quidem probationi, impoſſibilem eſſe ſolutionem, inſeruire non poteſt, ſubſtantia enim ſcirrhi in vtroque caſu aeque dura eſt, hoc autem certiſſimum eſt; quo maior ſcirrhus eſt, eo longius ad diſſoluendum illum temporis

ſpatium requiritur. Quaenam igitur eſt cauſſa, cur ſolutio ſcirrhi interdum fieri poſſit, interdum nequeat? Erantne veri ſcirrhi, quos chirurgi diſſoluere non poterant, an alia tumorum genera, quae diſſoluta ob duritiam et inſenſibilitatem pro ſcirrhis habebantur?

Quum nullae indurationes a chirurgis ſcirrhi nominatae in vlcera maligna, in cancros degenerent, contra ea multi horum tumorum diſcuti patiantur, ſeu ſine malignitate multos annos exſiſtant; iure ſcirrhi in malignos et benignos diuidi poſſunt.

A ſtagnante quocunque humore in corpore ortum trahit ſcirrhus, dantur igitur ſcirrhi lactei, ſanguinei, ſeminales et ſaliuares. Nonne eſſet res indagatione digna, a quo horum ſtagnantium humorum ſcirrhus ortum plurimamque malignitatem caperet? Scirrhoſi teſtes, glandulae inguinales et ſaliuares raro malignae fiunt, et rarius in cancrum abeunt.

Scirrhus itaque in plerisque caſibus eſt accumulatio vel ſtagnatio benignorum humorum aut a motu humorum irregulari, aut a turbata vaſorum ſtructura orta.

In genere ſcirrhoſi tumores ſaepiſſime in mammis ſexus muliebris inueniuntur, nam cuiuis fere indurationi, quam chirurgi in his inſtrumentis lacteis obſeruant, nomen ſcirrhi indunt.

Plerae-

Pleraeque puellae, nulla natione excepta, quibus paululum carnoſae elataeque mammae ſunt, habent etiam in illis indurationes; equidem illas plus vna vice in puellis vndecim vel duodecim annos natis obſeruaui, ſaepe nonnullae harum indurationum inſigniter magnae ſunt, quae puellas tactu vel preſſione vehementibus adficiunt doloribus, mutatam comitantur tempeſtatem, et menſtrua annuntiant. Noui feminas, quae, virgines dum erant, eiusmodi indurationes in mammis habebant, quarum nonnullae nuptae, partis liberis inflammatas mammas nactae ſunt, quae quidam dein cum omnibus ſymptomatibus inflammationis ſenſim euanuerunt, in quarundem vero harum feminarum mammis antiqui ſcirrhi remanſerunt, atque, vel maiores facti, vel in minores quasdam partes diuiſi ſenſim abierunt.

Fuerunt ſenio confectae, quae iam multos annos ſcirrhis in mammis laborantes, naturae debitum redderent, neque miſeria, neque aerumna aut moeror carcinoma illis contraxerat; nihilominus medici ac chirurgi aliquot temporis antea illius anxii ſuaſerunt, vt ſcirrhus exſecaretur.

Contra ea etiam ex his tumoribus, ſecundum ſpeciem benignis, oriuntur non raro maligna vlterius proſerpentia vlcera; ſequitur igitur, non in omnibus ſcirrhis malignam materiam, ex qua carcinoma ortum

 tra-

trahit, adesse: sed fortasse etiam materia, qua carcinoma constat, diu iam in corpore adfuit, solummodo, donec maturescat, et acrimonia destruens sese euoluat, tempus quoddam requiritur, quo praeterlapso scirrhum malignum reddit.

Sunt chirurgi, qui in scirrhosis indurationibus carcinoma adeo timeant, vt libenter quemcunque scirrhum excisione tollere cupiant, ne ocius aut serius in carcinoma degeneret. In hoc casu multis scirrhus exsecaretur, quos nunquam cancer inuaderet, et multos inuaderet, quamuis scirrhus esset exsectus.

Scirrhus a contusione et inflammatione oriri potest, sed non venenum, quod cancrum constituit, ille per se non est morbus malignus, sola depositio in corpore vagantis veneni cancerosi in ipso vel circa superficiem eius potest illum reddere malignum. Illustri igitur *Schmuckero* in eo, vel a minima in mammis induratione aliquid esse timendum, adsentiri non possum.

Si semel cancri venenum ad certum gradum se euoluit, facile partem aliquam, in quam se figat, inuenit, haec est sententia Ill. *Richteri* in dissert. *de herniis*, Vol. I. p. 317. et in casu quodam, quem *Petit* obseruauit, venenum cancerosum in saccum herniosum, qui herniotomia peracta remansit, se deposuit; non indiget igitur hoc scirrhi, in quem se deponat.

Neque

Neque ſemper venenum canceroſum deſtructionem ſuam in ſcirrho incipit, mox oritur carcinoma circa illum, ſcirrhus autem nullum in vlcere adfert damnum, mox ſcirrhum plane non adficit, ſuamque deſtructionem in loco corporis remotiore continuat. Femina habebat in mamma dextra pugno magnum ſcirrhum, et ſub ſiniſtra carcinomate adficiebatur, quod illam vita priuabat. Notatu dignum erat, quod ſcirrhus intra quinque hebdomades plane euaneſceret.

Alia femina duos ſcirrhoſos tumores in mammis habebat, attamen lingua primo cancro adficiebatur, quo illa exſtinguebatur. Alia habebat ſcirrhoſas indurationes in vagina, quae illam initio ad pariendum, denique ad concipiendum incapacem reddebant; carcinomate vero in mamma, in qua nulla aderat induratio, orto diem ſuum obiit.

Virum, qui habebat magnum ſcirrhoſum teſticulum, inuaſit cancer in labio inferiori, hunc exſecuit chirurgus *Lange* et dein Doctor *Wolff*, qui vtrique in vetere oppido *Strelitzii* florent; ſed omnes inciſiones erant irritae, oriebantur ſemper nouae indurationes, nouae exulcerationes circa regionem labii inferioris. Succumbebat denique aegrotus vlterius progredienti veneno canceroſo, et exſpirabat, teſticulus ſcirrhoſus vero manebat vitii cancroſi expers.

 Per-

Perſaepe ſcirrhos vel maxime benignos dolores adferre, requietem ſimulare, deinde dolores iterare, mox maiores, mox minores fieri, extra omnis dubitationis aleam poſitum eſt. Has viciſſitudines pro ſignis ſcirrhi canceroſi habent chirurgi nonnulli; ſed fere in ſingulis caſibus, hiſce ſymptomatibus paullo attentius inquiſitis, experieris, ea a mechanica cauſſa quadam eſſe profecta, quarum cauſſarum ſanguinis orgaſmus facile pro frequentiſſima eſt habenda.

Simulac ſcirrhus in quadam corporis parte ſe formauit, motui humorum progreſſiuo multa in hoc loco obſtant impedimenta, tanto quidem maiora, quanto maior eſt ſcirrhus, quodſi qua cauſſa circulationem humorum intendit, plures in et circa ſcirrhum adfluunt, quam vaſa recipere et deuehere poſſunt: accumulantur igitur, diametri quorundam vaſorum dilatantur, aut preſſione coarctantur, circulatio fit magis irregularis, atque ſtagnatio augetur, tali modo exaeſtuatio humorum producit mala, quae ſcirrhoſas indurationes ſequuntur, quaeque efficiunt, vt chirurgus aeque ac aegrotus ſaepe cancrum timeant. Sed impetu, qui auctam humorum circulationem produceret, ſublato, accumulatis humoribus euacuatis, aut iterum diſſolutis, ſymptomata breui reſident. Requies, venae ſectiones, medicamenta antiphlogiſtica, hirudines,

nes, aut incisiones in superficie, quae, si adfectae partis positus permittit, optime cucurbitarum applicatione fieri possunt, epithemata emollientia, calida, aut ex solutione salis ammoniaci parata, imminens periculum in plerisque casibus repellunt.

III. *Bierchen* arbitratur, cancros, qui mammas adficiunt, cuiuscunque generis sint, semper ex scirrho oriri, omniaque damna, si vel maxime maligna videantur, modo ne ex scirrhis orta sint, non esse carcinomata. Cf. Ill. *Richteri chirurgische Biblioth. II. B.* 2. *Stück*, *p.* 164.

Secundum hoc effatum necesse est, vt scirrhus venenum cancerosum procreet, aut hoc iam in corpore adsit, quod scirrhum procreat. Verum enim vero, si his dictis constaret veritas, nonne tunc plura obseruarentur carcinomata? In hoc casu exsectio scirrhi tutissimum esset carcinomatum arcendorum remedium. Sed cum huic, tum adsertioni *Bierchenii* contradicit experientia centies instituta. Ex centum hominibus, qui veris scirrhis laborant, ne viginti quidem cancro adficiuntur.

Quodsi semel venenum cancri corpori inest, scirrhumque malignum reddit; exsectio huius nullam aliam adfert vtilitatem, nisi quod furori veneni illius funesti ad aliquod tempus obicem ponit; oriuntur autem facile recidiuae adfectiones, nisi internis medicamentis restinguitur furor veneni.

Scirrhum autem etiam, ſi quis vnquam, benignum, nullo veneno cancri adfectum in vlcus degenerare poſſe, cuius malignitas facile chirurgum inducere poteſt, vt illud pro carcinomate habeat, nulli obnoxium eſt dubitationi.

Scirrhus telam celluloſam premens producit ſaepe ſteatomata, nonne poteſt ille ſimul et alias partes premere? Atqui haec preſſio ſaepe non parum ad ortum multorum ſymptomatum adtribuit. E nonnullis auctoribus, qui in ſcirrhoſis indurationibus ſteatomata obſeruarunt, mentionem faciam vnius chirurgi Pariſienſis *Paget*, cf. *mem. de l'acad. Roi. de chir. Tom. I. p.* 683.

Equidem animaduertebam in ſcirrho in mamma, ab omnibus partibus multas indurationes ſeſe extendere, videbatur quaſi adeps per ſingulas cellulas ſeſe induraſſe. Brachium eiusdem, quod ſcirrhus adficiebat, lateris erat tumidum, mamma inflammata, doloribus adfecta. Quorum ſymptomatum omnium cauſſam atque originem putabam ſcirrhum, quippe qui partes adiacentes premens illa excitabat, quo exciſione ſublato omnia ſymptomata aegrotam ſenſim deſerebant, nec quicquam duri remanebat. Quodſi in hoc caſu ſcirrhus reſediſſet, denique in malignitatem abiiſſet.

Si ſemper venenum canceroſum in ſcirrho adeſſet, qui fieri poſſet, vt non noua inde producta mala orirentur? e. g. ſi

fulmen illum discutit, vti *Eason* obseruauit et descripsit in *Medical and Philosophical. Comment.* V. 4. P. I.

Si veneno canceroso adfectus scirrhus externis medicamentis discutitur, nonne semper in his casibus venenum illud in corpore remanet? A loco depulsum in circulationem recipitur, igitur semper ocius aut serius de nouo sese exseret.

Si ill. *Richter* scirrhum, pugno magnum, in vlcere mammae maligno damni expertem inuenit, (vid. ei. *Bibliotheca Chirurgica*, Vol. V. Pars 3. p. 526—528.) multos dolores, nihil vero damni adferentem; si *Justamond* obseruat, imposito arsenico scirrhum, sicuti nucleus e crusta sua, separari; — Si contra ea scirrhosi tumores irritamine quodam in formidolosa carcinomata degenerant, quae nulla medicamenta curare valent; si multi chirurgi Cicuta, Belladonna, diuersisque aliis laudatis remediis, optimo cum euentu, in indurationibus scirrhosis vtuntur; si multi scirrhi felicissimo cum successu exsecantur; si autem contra ea in cancro omnia remediorum, exstirpationumque genera incassum adhibentur: ecquid potest aliud ex his comparationibus concludi, nisi quod dentur multae indurationes scirrhosae, quibus nihil cancerosi inest, quaeque, quocunque modo irritentur, in cancrum abire nequeunt, quia tale venenum in corpore non existit; quodque in chi-

chirurgia vera difcrimina, quibus fcirrhus cancerofus differt a non cancerofo, adhuc lateant, quapropter fequentem obferuationem patefaciendam putaui.

Mulier XXVII annos nata laborabat in vtraque mamma fcirrho, et fub brachio dextro tumida glandula axillari, hac parte fcirrhus erat maximus. Quoad longiffime poterat aegrota refpicere fpatium praeteriti temporis, iam, dum erat adhuc virgo, nodulos duros in ea fenferat, nunc autem pro temporum viciffitudine vehementibus pungentibusque doloribus cruciabatur, menfes ordine carebant, facies erat pallida et macilenta. Quum experientia Ill. *Richteri*, *Meyeri*, *Michaelis*, *Wyath* et *Smith* mihi cognitum effet, in his aliisque tumorum generibus vomitoria felici cum fucceffu effe adhibita, idem in hoc cafu tentandum putaui. Succi Digitalis purpureae adhibendi nulla mihi erat copia data, fortaffe illum hic tentaffem, quamquam mihi experimenta huius generis comparanti videbatur, non medium, quo vomitus excitatur, fed vomitum ipfum bonum producere effectum. Euacuationes, tremor, perfpiratio cutanea magis promota efficacia funt refoluentia, atque hi effectus in vomitorio coniuncti funt omnes.

Initium curationis fufficiente ipecacuanhae portione feci, aegrotamque tribus interiectis diebus idem remedium repetere iuffi.

iuſſi. Vehementiori vomitu debilis lecto tenebatur, mammae fiebant laxiores, et indurationes mobiliores. Interiectis quibusdam diebus, poſteaquam aegrota vires receperat, repetenda vomitoria ei commendabam, dolores ceſſabant, et ſcirrhi paruiores fiebant. Quater aegrotam vehementer vomere iuſſi, intra quod temporis ſpatium indurationibus maxima parte diſcuſſis quaedam auellanae nucis magnitudine remanſerant. Iam poſt biennium praeterlapſum haec femina ſecunda gaudet valetudine, paruae indurationes eiusdemque magnitudinis adhuc ſuperſunt.

MO-

MONITA QVAEDAM CIRCA SYNCHONDROTOMIAM ET SECTIONEM CAESAREAM.

Plerumque in instituenda sectione synchondroseos ossium pubis prolongandi parui diametri peluis ratio habetur, neque reputatur, peluim in toto suo ambitu illa operatione dilatari, quum tamen illa, nisi praeter paruum diametrum aperturae superioris, ceteras peluis dimensiones etiam dilataret, non esset admodum commendanda. Repraesentes tibi ambitum peluis tamquam circulum, qui duobus diuersis locis sese aperire potest. Primam aperturam cogites fieri versus symphysin ossium pubis, secundam vero versus synchondroses sacro - iliaticas. Metiaris omnes circuli diametros, et remoueas primam circuli aperturam duos digitos a se inuicem, tunc metiaris illam iterum, et inuenies, omnes prolongatos esse diametros, circulumque in toto suo ambitu latiorem factum. Eiusdem peluis est ratio. Angusta peluis non semper in paruo suo diametro angusta est. Impedimenta partus saepe pari modo in breuitate magni diametri posita sunt, eadem naturae menda, quae paruum diametrum breuiat, et magnum breuiare potest, vterque eidem casui est obnoxius, atque tali modo fieri potest,

vt

vt vita infantis in partu difficili interdum periclitetur. Synchondrotomia autem prolongat vtrumque peluis diametrum, atque, ſi in breuitate illorum impedimenta partus iaceant, partum faciliorem reddit. Quin immo experimentis meis inſtitutis, doctus, adfirmare poſſum, hac operatione magnum peluis diametrum plus, quam paruum prolongari; oſſa enim pubis, diſſectione cartilaginis intermediae peracta, plus verſus latera quam antrorſum cedunt, tantummodo ſpatium maius inter oſſa pubis nunc interiectum partui infantis plus conducit, quam prolongatus paruus diameter.

Eadem neceſſitas, quae praecipit, vt ſeparata oſſa pubis non niſi paullatim dilatentur, praecipit etiam, vt paullatim coniungantur. Coniunctione illico poſt partum peracta, partes extentae prolongatae comprimuntur et quaſi conquaſſantur. Ob irritamen, quod hae partes paſſae ſunt, humorum in illis accumulatio oritur, itaque, compreſſione nimis cito facta, vaſa dilatata coarctantur, et humores ibi accumulati ſtagnant, inde multi dolores, inflammatio, ſuppuratio et gangraena oriuntur. Quum partes adfectae vehemens irritamen paſſae ſint; neceſſe eſt, vt prius impetum inflammationis ſuſtineant, quam plane in ſtatum priſtinum reſtituantur. Quo breuius eſt tempus inter ſeparationem et coniunctionem, hoc eſt, ſi oſſa pubis ſeparata ſtatim

poſt

poſt inſecutum partum vi et faſciis coniunguntur, eo vehementiora ſunt ſymptomata, inflammatio vero ſi praeteriit, natura ipſa coniunctionem reddit faciliorem.

Experientia conſtat, fracturas patellae, vel olecrani paucioribus ſtipatas ſymptomatibus facilius curari, ſi demum poſt inflammationis impetum coniunctio ſuſcipitur. Singula fracturae oſſium genera difficiliora ſunt curatu, ſi firmis faſciis in poſitu continentur, quam ſi, ſine his, conueniens oſſibus fractis ſitus datur, diebusque inflammationis praeterlapſis, circumſtantiae ſi id exigant, ad faſcias firmiores applicandas proceditur.

In parturiente quadam, vbi iniqua inter peluim et infantem proportio partum grauaret ad ſynchondrotomiam confugiebam. Diſſectio cartilaginis fiebat facile conſueta lanceola. Oſſa pubis vix ſeſquidigitum a ſe inuicem diſcedebant, maioremque vim, vt latius diſcederent, illis non adferre volebam, breui enim, poſt aliquot nixus, partus inſequebatur. Equidem idoneum aegrotae ſitum curabam, clauſis eam pedibus iacere iubebam, vulnusque iuſta deligatione vinciebam, relictis ceteris naturae. Aegrota deinde leuiori febri correpta ſentiebat dolores in hypogaſtrio. Interiectis tribus diebus oſſa pubis maxima parte ſe appropinquauerant, iam inflammatione remiſſa conabar, vt illa

faſcia

faſcia ad attactum coercerem. Die decimo quinto poſt operationem vulnus iam coaluerat, vigeſimo permittebam aegrotae, vt ſurgeret, et poſt quatuor ſeptimanas ſaltabat.

Hac procedendi methodo luculenter animaduertebam, pro eo, vt ſeparata oſſa pubis longius a ſe inuicem diſcedebant, telam celluloſam in vulnere vehementer intendi, et huc illuc ruptam, intentam tamen ſemper manere. Separabam igitur, quicquid erat intentum, in longiori diſceſſu, quem lente modo concedebam, tenui lanceola tam prope oſſa pubis, quam fieri poterat, id quod dolorem vix ſenſibilem adferebat aegrotae, quae tamen attrectatione magnos ſenſerat dolores. Forſitan haec attrectatio in tela celluloſa cauſſa eſt rupturae colli veſicae, et vaginae vteri, inflammationis et gangraenae. Ecquid periculi timendum eſt, ſi inſtrumento ſecante omnis tela celluloſa intenta quam proxime os pubis ſeparatur?

In tractatuum Regiae Suecicae Academiae ſcientiarum, volumine triceſimo primo caſus, in quibus ſectione caeſarea opus eſt, ab Ill. *Schützero* determinatos legimus. Vir ille Celeber. ſectionem caeſaream tunc non ſuſcipiendam ſuadet, cum, vtero rupto, pars modo infantis in cauitate abdominis, maxima vero in vtero, partusque

via naturali poſſibilis ſit, dictumque caſum narrata obſeruatione confirmat.

Finis ſectionis caeſareae non in ſola infantis, cuius vita cognoſcitur, conſeruatione ponendus eſt; praecipua atque grauiſſima, quae id extorquet conſilii, cauſſa debet eſſe conſeruatio matris. Num in caſu ſupra commemorato, in quo ſectionem caeſaream vetat Ill. *Schützerus*, magnum illum grauiſſimumque finem conſequeris? Equidem iure quodam adfirmandum puto, rariſſime, et forſitan nunquam.

Poteſt partus in multis horum caſuum ſine ſectione caeſarea perfici, perficiebat illum quoque vir, cuius ſupra mentionem fecimus, quamquam caput infantis per rupturam vteri penetrauerat, et inter inteſtina iacebat, ſed mater exſpirabat quinto poſt partum die. Neſcio an vnquam chirurgus in caſu huiuscemodi felicem exſpectare poſſit euentum, qui tam parum facit, quam *Schützerus* fecerat. Secundum naturam eſt, ruptura in vtero facta, partem ſanguinis et lymphae in cauitatem abdominis effundi, nonne periculoſiſſima ſymptomata ſequentur hanc effuſionem? Nonne poteſt haec forſitan pro certiſſima mortis matris cauſſa haberi? Vulnera vteri ſine hac effuſione, vulnera vteri cum hac effuſione, exitu patente, non ſemper ſunt lethifera. Vulnera vteri lethifera eſſe poſſe, non nego; illa autem raro, cauſſamque mortis

maxima

maxima parte in cauitatem abdominis effusum humorem esse, ecquis est chirurgorum, qui hoc non respiciat?

Femina iam tres menses grauida cultro in abdomine vulnerabatur, laedens instrumentum vsque ad cerebrum infantis penetrauerat. Hora interiecta foetus pariebatur. Vulnus abdominis eo fine, vt in abdomen effusus sanguis et serum deriuaretur, canali flexibili apertum tenebatur, et exonerabat se aliquod tempus sanguine mixtum serum et pus. Denique canali, ex quo nihil amplius efflueret, extracto vulnus aliquot diebus consanuit, aegrotaque sine aliis insecutis symptomatibus valetudinem recuperauit.

III. *Serin* vulnera vteri sine lethiferis symptomatibus vidit, et *Deleurye* perfecit sectionem caesaream felici cum successu, quippe qui hoc sibi agendum putauerat, vt vulnus abdominis apertum teneretur, ne quicquam effusorum humorum effluuium impediret. Locus me admonet, vt obseruationem inferam, quae indicio sit, vulnera vteri non semper malis coniuncta esse symptomatibus.

Femina post vltimum partum suum inuersioni vteri exposita erat, imprudenti et violenta quadam secundinarum extractione ortae. Sine intermissione defluebat diuersi coloris humor tam acris, vt externas, quas alluebat, partes sauciaret, sentiebat illa

 quo-

quoque dolores dorsi, infra versus pedes vergentes. Ferebat plurimum temporis pessarium subereum, quod illi semper vehementes dolores adferebat, atque in mingendo deponendisque excrementis admodum molestum erat, in genere numquam vno horum symptomatum plane vacabat, omnia vero faciliora fiebant, si dictum pessarium non ferebat. Inquirens aegrotam, vterum duplicis pugni magnitudine e vagina eminentem inueni, atque in eodem duo loca, in quibus pars ex vtero quasi excorticata videbitur. Haec vulnera pus atque subflauum humorem deponebant, atque elatior margo illorum ambitum circumscribebat. Animaduertebam leuiorem tumorem et inflammationem. Vt aegrotae leuamentum aliquod adferrem, totum prominentem vterum latte fomentari iussi, atque insuper leniente oleo illeui. Reductio vteri facilis erat, os enim vteri longe patebat, aeque inefficax ac vterus, simulac enim illum sibi relinquebam, infra se demisit. Pessarium flexile, secundum *Hoini* consilium comparatum, prominenti vtero obicem posuit, cetera reliqui naturae. Aegrota curabat negotia sua sine impedimentis, durante interea effluuio. Secundum effatum obstetricis vulnera purulenta eo erant loco, quo placenta vterina praeternaturali modo tam firme sederat, vt necessitate coacta illam vnguibus dissoluisset. Suspicari licet, inuer.

inuerſionem vteri non ſecutam eſſe, ſi obſtetrix illico poſt partas ſecundinas denuo manum immiſiſſet, ad aequalem vteri contractionem promouendam. Eſt igitur non contemnenda maximeque neceſſaria regula a *Steinio* data in libro: *practiſche Anleitung zur Geburtshülfe*, p. 129. §. 503.

Sectione caeſarea attentius obſeruata, intelligitur, non vulnus vteri, ſed impeditum effuſorum humorum effluuium in cauitate abdominis cauſſam eſſe mortis; nam in plerisque caſibus ſequitur mors demum poſt aliquot dies ab effuſis humoribus profecta.

Neceſſe eſt igitur, ruptura in vtero facta, ſi vel feliciſſime via naturali edi poſſit foetus, vt abdomen ſectione aperiatur, vt effuſis humoribus exitus pateat, lethiferisque periculis effuſionum in cauitate abdominis praeuertatur.

Non eſt, quod exhauſtae matris vires exſpectationi non adnuentes chirurgum ab operatione deterreant, haec enim in hoc caſu nihil habet formidoloſi, ea autem intermiſſa, mater ſuccumbet. Eam ob rem inſtituitur, vt mater conſeruetur, dum effluuio effuſorum humorum inſeruit, quae pro praecipua cauſſa eſt habenda. Adeſt ruptura in vtero, ad mala inde oriunda auertenda parum valet medicus, ſed ad mala effuſionis, quae tamquam praecipua cauſſa matris mortem arceſſit, praecauenda, ſupereſt

pereſt chirurgo remedium ſatis efficax, ſcilicet vt illi paruo abdominis vulnere effluuium paret; id quod facili negotio effici, atque ita huic fini ſatisfieri poteſt.

Equidem in hoc caſu ita procedo. Simulac dolores repentine ceſſant, ſimulac profluuium ſanguinis, et deliquium animi adeſt, ſimulac aegrota inſolitum in abdomine calorem ſentit, ſanguinis effuſionem per vteri rupturam indicantem, aliaque ruptionis indicia oriuntur; facio inciſionem in linea alba prope ſuper oſſa pubis, per illam flexibilem canalem in abdomen induco, atque ex hoc vulnere profluuium in abdomine effuſi humoris promoueo. Antea naturalem viam ad pariendum inquirendam eſſe, vtrum partus facilis ſit, an difficilis, et vtrum infans vita fruatur, an careat, non eſt, quod admoneam. Si viuit infans, partusque facilis eſt, prius partus, deinde apertio abdominis ſuſcipienda eſt, nam retardatus partus vitae infantis poſſet eſſe periculoſus; ſi autem infans mortuus, partusque difficilis eſt; prius ea infantis pars reducenda eſt, quae per vteri rupturam penetrauit, haec enim vteri vulnus apertum tenet, ad largiorem effuſionem contribuit, et tum demum abdomen aperiendum eſt. Semper autem bene agit chirurgus, ſi in omnibus caſibus partum prius promouet, quam operationem ſuſcipit, vacuitas enim vteri margines interni vulneris

vulneris propiores reddit. Neque vero diutius retardet chirurgus operationem, quo breuius enim tempus inter hanc et rupturam vteri est, eo fluidiores sunt effusi humores, aptioresque effluuio. Parturientem inueni ita compositam. Animo deficiebat, erat pallida, gelidisque guttis sudoris obruta, pulsus paruus et debilis. Vna manus foetus iacebat in vagina vteri, infans omnibus testantibus indiciis erat mortuus. Frigida epithemata abdomini admouebam, post aliquot tempus aegrota se ipsam recuperabat. Ante aduentum meum in quadam vteri parte dolorem senserat vehementem, vehemensque fuerat infantis motus, denique internam se, ait, fissionem sensisse, qua sensibus esset priuata. Adseuerabat, infantem esse in cauitate abdominis, sentire enim se in illa insolitum calorem et grauitatem. Situs infantis erat obliquior, versus dexterum vteri latus, atque hac regione vterus erat ruptus. Sinister pes infantis per vterum penetrauerat, quem, quanta maxima fieri poterat, cautione, ne ruptura maior euaderet, reduxi. Conficiebam partum sine versione infantis, id quod in quouis simili casu chirurgo esset faciendum, versio enim infantis vteri rupturae non potest non esse damno. Suspicatus multum sanguinis et seri per vteri rupturam esse effusum, quia parum via partus effluxerat, et adhuc aegrota grauitatem

in

in abdomine ſentiebat; illius per ſectionem in linea alba euacuandi cepi conſilium. Prope ſuper oſſa pubis inciſionem feci vsque in cauitatem abdominis digiti magnitudine. Retracta lanceola effluxit ſanguis et ſerum, flexibilem canalem induxi, aegrotamque in ſitu, effluuium promouente, poſui, quo facto ingens ſanguinis et ſeri copia effluxit. Canalem et vulnus texi molli ſpongia, iuſtaque deligatione cauens, ne vulnus premeretur. Spongiam ſingulis diebus bis cum altera commutari iuſſi. Interne praeſcripſi aegrotae decoctum corticis Peruuiani et radicis graminis maioris. Tertia die febrem incidit conatu vomendi et vertigine ſtipatam, intra quartam et quintam diem acceſſerunt vomitus ipſi, et ab hoc tempore ſymptomata deficere coeperunt. Recuperauit aegrota quietem et vires, effluuiumque ex canali decreuit, quem viceſima die, quum nihil amplius ex canali effluens animaduerterem, extraxi. Conſanuit vulnus intra ſeptem dies, et in quinta hebdomade aegrota ſana et valida ambulauit.